



FERDINANDVS diuina fauente clementia Roma-  
norum rex semper Augustus, ac Germaniæ, Hun-  
gariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ,  
&c. rex: Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ,  
&c. Dux Burgundiæ, &c. Marchio Morauici, &c.  
Comes Tyrolis, &c. honorabili ac docto Vuolf-  
gango Lazio Viennensi, Philosophiæ ac Medicinarum Doctori,  
nostriq; archigymnasij Viennensis in re medica professori publi-  
co, fideli, nobis dilecto, gratiam nostram regiam, & omne bonum.

Cum singularis fides, ac obseruantia tuæ erga nos & illustrissi-  
mam domum & familiam nostram, tibi à maioribus tuis quasi per  
manus tradita, magnitudo, tum egregia bonarum artium & lite-  
rarum doctrina & eruditio tua, iure propè suo exposcere uidetur,  
ut quæ tibi usui futura sunt, iusta præsertim & honesta petenti, ea  
tibi à nobis non libenter modò, sed etiam liberaliter concedantur:  
Quare cum certos rerum Austriacarum Commētarios, maiorum  
etiam nostrorum genealogias complectētes, longo studio, & mul-  
torum annorum cura, lucubratione, uigilijs, ut accepimus, confece-  
ris, eosq; in octo libros distinctos, unà cū charta Chorographica,  
conducto abs te impressore aliquo edere in manus hominum sta-  
tueris, ut ij tua diligentia probiores emendatioresq; exeant: tum ut  
si quis fructus ea ex re percipi potest, is ad te potius, qui conficiendi  
operis laborem es perpeffus, quàm ad alienos deferatur: Edicimus  
& mandamus, non minus nomine auctoritateq; Imperatoriæ Ma-  
iestatis, quàm nostra Cæsarea, ne quis eos tuos Commentarios, &  
chartam Chorographicā ullis in locis sacri Romani Imperij, ditio-  
nisq; nostræ, sine tuo iussu & uoluntate, intra spacium decem an-  
norum, ab eo die quo opus ipsum in publicum exhibit, imprimere,  
aut impressos uenundare audeat. Qui contra mandatum hoc no-  
strum fecerit, admiserit'ue, is multam persoluat uiginti quinq; mar-  
charum auri puri. Quarum dimidia pars tibi Vuolfgango Lazio,  
reliqua fisco nostro Imperiali cedat, uolumus harum testimonio li-  
terarum, sigilli nostri impressione munitarum. Datum in arce no-  
stra regia Prage, die nona mensis Ianuarij, anno Domini millesimo  
quingentesimo quadragesimo quarto: regnorum nostrorum, Ro-  
mani decimo quarto, aliorum XIX.

Ferdinandus

Georg. Gienger Doct.  
Vicecancellarius.

Adamus Carolus.